

Yale University Library Digital Collections

Title	Qua Ratione Indi Mexicani, Mactatis Hominibus sacrificent, pl. VIII [8]
Rights	The use of this image may be subject to the copyright law of the United States (Title 17, United States Code) or to site license or other rights management terms and conditions. The person using the image is liable for any infringement.
Generated	2021-02-18 10:43:24 UTC
Terms of Use	https://guides.library.yale.edu/about/policies/access
View in DL	https://collections.library.yale.edu/catalog/2000867

VIII.
 QVA RATIONE INDI MEXI-
 CANI, MACTATIS HOMINIBVS,
 sacrificent.



TEMPLVM Mexicanorum, ceu in historia descriptum, sic hic graphicè depictum est. In illo victimas mactatis hominibus tales offerunt. Festo quodam singulari, annuo, omnes suos hostes, belli tempore captiuatos, in unum numerum cogunt, & eosdem in rotundum tem pli collem, captiuum castrorum, deducunt, atque ex ordine singulos cōsidere iubent. Paulo post à supremo quadrangulari monte sacerdos, casula amictus, manibusq; Idolum gestans progreditur, & ceremoniis nonnullis peractis damnatos adit, quemlibet à summo ad imum ex ordine perlustrans, & ei idolum, hac verba loquens, Ecce, hic Deus vester est, apporrigens. Hoc parato, per scalas iterum descendit. Porro, damnati, forti custodia stipati, per scalas alias, sese sigillatim inuicem consequentes ducuntur ad montem supremum, quo loco sacerdotes, sacrificia tractaturi, conspicuntur. Horum numero sex ex ordine stantes, illic morantur. Rei itaque seu fontes, cum Idolo submissis genibus sua iusta fecerunt, tum in sperata celeritate quisque eorum priuatiu à quatuor sacerdotibus innaditur, tum braccia, tum pedes fortiter corripientibus. Quintus vinculum ligneum eius collo innectit: quo factò, sublatum miserum hominem in subiectum saxum dorso tam violenter illidunt, vt omnia illi lumborum ossa crepent. Tandem asiliens sextus, qui summus sacerdos est, ruptim ei tum ventrem tum medium pectus discindit, & euulsam eius adhuc fumigans cor, postquam versus solem obtendit, idolo in faciem proicit. Cadauer autem è scalis volutatim deturbant, vbi is, qui casum captiuum primò fecit, accurrens, corpus exanime domum aufert, coquitq; & cum suis, festinatis concelebranda gratias, vocatis inuitatisq; amicis, deuorat, & diem illum genialiter sumit. Eadem & ceterorum omnium fors est.